HISTORIA ABSINTHII VMBELLIFERI NICOLAI CLAUENAE BELLUNENSIS ..

Nicola Chiavenna

HISTORIA ABSINTHII VMBELLIFERI

NICOLAI CLAVENAE BELLVNENSIS.

Superiorum Consensu.



VENETIIS. MDCX

Euangelistam Deuchinum.

ILLVSTRISS.MO VIRO
AVGVSTINO AMVLIO
REIPVBLICAE VENETAE
Senatori Amplissimo

NICOLAVS CLAVENA S. P. D.

PLANTIS adeò fecunda est rerum natura parens, & nouatrix, vt quamuis multi multas solerti indagine consecuti sint, & de hac tota ratione commentaria, & libros ediderint; nonnullæ tamen in dies emergant omnibus ignotæ, a nemine adhuc scriptis commendatæ. Equidem his inserendum arbitror Absinthium Vmbelliferum, meum in adsitis montibus inuentum, quod suæ virtutis magnitudine angustos Belluni fines indignatum, nunc te Viro Illustrissimo delecto duce, latiore famæ campo euagaturum, in lucem, atque in oculos omnium prodit. Nemo dux te potior occurrit, nam me singulari (quæ tua est humanitas) amore prosequeris, qui in aurea Prætura tua Bellunensi radices egit, exinde me benignitatis, & beneficentiæ fructibus alijs super alios cumulauit: præterea inter præstantiores do-

ctrinas, quæ in te tanquam lumina elucent, simplicium medicamentorum studio, & cognitione maximè delectaris. Vtinam hoc etiam Absinthio tantopere delecteris, vt ex eo nihil amari persentias, & sicuti Athenis nullam, quæ primum exhiberetur, fabulam legimus explosam; tu opellam hanc primum ingenioli nostri fetum non asperneris. Vale vir Amplissime, & diu viue clientum præsidio, tuæ laudi, & patriæ bono.

Belluni XX. Cal. Decemb. M DC VIII.

PRIVILEGIVM

In Christi nomine Amen.

VNIVERSIS, ac singulis, ad quos has nostras peruenire contigerit, notum, ac manifestum facimus nos ANDREAS PASQVALICO, ANDREAS LEGE, & IOANNES NANI, ob Seren. Duc. Dom. Ven. Prouisores Communis, Qualiter visa humili, ac honesta Supplicatione Dom. NICOLAI CLAVENÆ Pharmacopæi ad insigne Angeli Ciuitatis Bellunen. die XV. Septembris, proximè decursi, in qua ipse exposuit sua diligentia, industria, labore, ac sumptibus ante omnes plantam quandam inuenisse in Montibus illius Districtus Belluni, & ex ea mox ob generis humani beneficium primum fuisse, qui ad vsum Medicinæ temporibus istis (de ea Conseruam, celebrando, quam vocauit de ABSINTHIO VMBELLIFERO) Mundo promulgasset, & requisiuit Concessionem, seu Priuilegium concedi a Magistratu nostro, quòd nemo possit per decẽnium talem plantam ABSINTHII VMBELLIFERI colligere, neque de ea Conseruam componere, siue quouis alio modo præparatam vendere: itaque nos prædicti Prouisores Communis auctoritate, qua fungimur in hac parte Magistratui nostro concessa ab Excell. Senatu die 19. Martij 1474. prædicto D. NICOLAO (vt

æquum, & iustum est) perlubentes Concessionem, seu Priuilegium concedimus, quòd nemo per decennium (præter dictum D. NICOLAVM, & qui ab eo causam habuerit) vsquam audeat construere, neque construi facere prædictam Conseruam ABSINTHII VMBELLIFERI, neque talem Plantam quouis alio modo vendere, neque vendi facere, tam in hac Ciuitate, quàm vbique locorum Sereniss. Duc. Dom. Venet. sub pœna transgressoribus amittendi totam rem, & duc. ducentorum per dimidium applicandorum accusatoribus, & dimidium domui Arsenatus nostri, eo stante maximè, si prædictus Dom. NICOLAVS fuerit prædictæ Conseruæ inuentor, sicuti superius enarratum fuit. Aliter &c. In quor. fid. &c.

Venetijs Die 31. Octob. 1608.

Andrea Pasqualigo Proueditor de Commun.
Andrea da Leze Proueditor de Commun.
Zuane Nani Proueditor de Commun.

Franc. de Rubeis Not. Off. Clariss. DD. Prou. Communis Mand. Subscr.

HISTORIA ABSINTHII VMBELLIFERI NICOLAI CLAVENÆ.

ABSINTHIVM VMBELLIFERVM caule assurgit singulari, interdum duplici, & quadruplici, recto, sesquidodrantali, terete, cãdicante, nonnihil lanuginoso: folijs mox a radice multis, mollibus lanugine quadam pubescentibus, tenui per longitudinem excurrente costula insignitis, primum virentibus, postea in cinereo albicantibus; magis inferne, quam superne, alatis, hoc est, in vtroque latere bina, terna, quaternave foliola duabus, & tribus incisuris dissecta promentibus, extrema foliorum parte duobus, & tribus pariter segminibus discreta, instar folioli, disparem numerum faciente, folijs integris cerui ramosa cornua, ceu folia coronopi referentibus supra inuicem per totum thyrsum alternatim dispositis, quo magis vmbellæ propinquis, eo magis arctis, gracilibus, contractis, velut in florum nutricatum exhaustis. Hi in æquam vmbellam millefolij vmbellæ persimilem congeruntur, quinque, sex, tredecim, vsque constant fo-

liolis candidißimis per vnam duntaxat oram leuiter crenatis, in quarum centro relucet orbiculus ex multis exiguis staminibus auro interpunctis commißus: erumpunt e capitulo leniter squamoso, vti minoris cyani flores: breuibus, & firmis insident petiolis, vnus vni petiolo, si vmbella parua est; duo, tres, quatuor, quinque, & sex vni petiolo per ambitum, vnus vni petiolo in medio, si vmbella magna. Illa minimum quinque, hęc quattuor, & quinquaginta flores summum complectitur. Nonnunquam in vmbellę vmbilico vnum, & duo subsident capitula maiora, sed multo humiliora, reliquis eminentioribus circumuallata capitulis, quę consortium sortem iniquam miserari videntur. Semen album est, minutum, scabrum, rotundum, subtus perforatum, petiolo in imo capitulo adhęrescens. Radix breuis subest, nihil, aut parum profunda, obliqua, viminis in modum obsequiosa, tenui, & nigro cortice obsita, interius candida, tenuissimis atricoloribus fibris capillata, & aliquando bifida. Nascitur Absinthium Vmbelliferum in Serrę apricis crepidinibus, quem montem raris plantarum generibus amplum theatrum natura constituit. Iunio, & Iulio floret. Semen secundo anno ad maturitatem peruenit, & staminulis, squamulisque delapsis, totoque capitulo dißoluto, solum soli, & cœli perfert iniurias, singillatim petiolis affixum, perinde ac si planta omnes suę operæ, curę, industrię neruos in florum, foliorumque partu contendat, vt deinde velut seminis oblita, id vix inchoatum, effetis in corpore viribus, exponat, atque alijs perficiendum relinquat. Absinthium hoc, quod mirari quidem poßumus, laudare satis non possumus, sacchara conditum, semuncię pondo sumptum

imbe-

Imbecillem ventriculum confirmat, eiusdem frigidam, & humentem abigit intemperiem, fouet, atque acuit natiuum hepatis calorem, est aduersus hydropem efficax, stomachi, & intestinorum doloribus auxiliatur, ructus acidos tollit, appetentiam excitat, ori graueolenti medetur, vrinam ciet, officij immemorem aluum ad opus reuocat, pueros lumbricis vexatos mirum in modum leuat, effrenem venenorum audaciam compescit. Quę non hic solùm, sed Feltrię, Serauallı, Cenetę, Corneliani Venetijs complures habent experimento comperta. Multis alijs viribus pollet, & illis, ni fallor, omnibus, quibus Absinthium Ponticum. Consueuit enim, ne male audiat, natura, quando non sit ad manus, quod ipsa terris disiunctissimis apparauit, in singulis regionibus quędam viribus paria, vel paullo inferiora, si nobis essent nota, progignere. Vt igitur in Pontico, sic in nostro adstringendi facultas valida est: amara vero qualitas plane obscura gustu percipitur: odor suauis, & aromatum quid prę ferens. Quare calidum est principio primi ordinis, siccum fine secundi, palato respondet, cum lubentia, & voluptate manditur, nec facile dictu, vtrum Absintnium Ponto Bellunum, an Belluno Pontus inuideat. Serius tantùm hoc nobis, quam illud Ponti incolis, innotuit. Nanque abhinc duodecim solùm annos, cùm pro veteri consuetudine mea, inuia montis Serue culmina perlustrarem, hanc quasi e Gratiarum gremio effusam herbam nactus, statim prę figura, odore, & sapore inter Absinthia reponendam censui, & concisam exacte sacchara saturaui. Hanc egomet primus, familiaque mea fœliciter experti sumus, deinceps aliqui amici, qui mihi fidem haberent. Et sicuti Sol oriens priusquàm

quàm

quàm se totum ostendat, partim se videndum offert, partim se mortalium oculis subtrahit, sic Absinthium hoc initio, cùm a paucis vsurparetur, seminotum erat, deinde OCTAVIANO GRATIANO hic medicinam faciente ea scientia, virtute, auctoritate, felicitate, vt exemplum a nullo medicorum accepisse, successoribus prębuisse existimetur, caput extulit a plurimis petitum, atque vsurpatum, in primisque ab ALOYSIO LOLLINO re magis, quam nomine Illustrissimo nostro Antistite, cui incorrupta fides, nudaque veritas (cùm Horatio dicam) quando vllum inuenient parem? Graues, & locupletes laudatores accessere, vt reliqui impartito testimonio animati labra alacriter admoueant huic medicamento, tres Clarissimi ęui nostri Medici, quor. singuli nobis sunt id, quod ter mille, tres vix sunt innumeri.

Medicorum Approbatio.

XI. Calend. Septemb. M.D.CVIII. Patauij.

EGo Eustachius Rudius Ordinarius Medicinæ in hoc Patauino Gymnasio è principe loco professor, affirmo, Magnific. & honestum virum Nicolaum Clauenam Ciuem, & Pharmacopæum Bellunensem, sua industria, diligentia, & simplicium medicamentorum, & Pharmacopęiæ peritia. Absinthium Vmbelliferum inibi primum reperisse, primumque illius flores parasse, & in sacchаro exhibuisse, qui in sanandis affectionibus, & intemperantijs frigidis, & humidis cum stomachi relaxatione tantum habent admirabilitatis; quia præter alias qualitates sunt degustantibus iucundissimi, vt in horum fidem pagellam hanc meo chirographo exarauerim, & subscriptione, & sigilli impressione muniuerim.

Idem, qui supra propria manu.

QVoniam Magnific. Nicolaus Clauena Pharmacopæus sub Angeli signo Bellunensis, quam Absinthij Vmbelliferi nomine vocauit, Plantam in Belluni montibus primus reperit, & insuper certis factis periculis in illius facultatum cognitionem peruenit, & stomacho apprime facere peculiariter explorauit, quapropter vt omnibus prodesset, primus sacchar o excepit, quod sic exceptum cum etiam extra illius vrbis fines, admirabilem fructum attulerit, Ego Prosper Alpinus Ordinarius inter primores Patauinæ Academiæ Doctores Cathedrarios Medicinam docens, & Præsens Horti Medicinalis hoc, publicæ vtilitatis studio, non dubitanter testatum, & subscriptione, & proprio sigillo auctoratum volui.

Prosper Alpinus, vt supra.

EGo Octauianus Gratianus Physicus Belluni Medicus bona, & indubitabili fide testificor Magnificum Nicolaum Clauenam eiusdem vrbis, Ciuem, & Pharmacopæum Absinthium Vmbelliferum primum inuenisse, & vniuersorum beneficio consulentem illud in vsum deduxisse in serapia effusum, & sacchar ea conditura edulcatum. Quod non hic modo, sed in propinquis oppidis, & Venetijs expertus, insigni facultate robur stomacho, & iecori conciliare, bilem per aluum, & per vesicam educere, flatus discutere, ventriculi dolores auferre, vermes enecare, præterea multo iucundius, & suauius, quam reliqua Absinthia, gustantibus accidere, & odoris maiore commendari venustate comperi. Quæ mei chirographi, & testimonij subsignati, & sigillati calculo produxi.

Belluni. V. Cal. Aug. MDCVIII.

Octauianus Gratianus, qui supra.

TESTIMONIVM ILLVSTRISSIMI, & REVERENDISS. ALOYSII LOLLINI.

CVm frequenti experimento nos Aloyſius Lollinus Belluni Epiſcopus, & Comes abunde cognouerimus vſum Abſinthij Vmbelliferi ab accurato, & peritiſſimo huiuſce vrbis Pharmacopœo D. Nicolao Clauena cis paucos annos reperti ad frigidam ſtomachi intemperaturam plurimum conferre, hoc palam teſtamur, manu propria ſubſcribentes, ſigillumque noſtrum apponentes.

Belluni pridie Non. Sept. MDCVIII.

A. Belluni Epiſc.

ALiorũ sexcẽta testimonia omisi, ne viderer Solis lumini minorum luminũ faculas adiungere. Qui hæc legitis breuia, sed fida elogia censete, quæ vobis Absinthium ampliora exprimet, si noscetis. Vt autem fieret noscendi potestas, nolui tanquam insomnis draco Colchiaco velleri tanto medicamini solus incubare. Mea rem herbariam demerendi voluntas, vt typographiæ committerem, induxit. Quam si intellexero non fuisse vsquequaque stirpium studiosis ingratam, erit cur mihi gaudeam, & omnium mearum momenta cogitationum ad maiora conuertam. Sed vereor ne dum Absinthium descripsi, anagyrim, vt est in prouerbio, commouerim. Aures meæ nonnullorum vocibus non contemnendis vndique circumsonant. Actum, aiunt, ne agas, Herculi, non tibi contigit Cerberum ab inferis extrahere. Extraxit, velut alter Hercules, Clusius, dum inter Pannonicas in naturæ interiore recessu conclusas, quas in lucem protulit, plantas, tuam quoque Absinthii Alpini Vmbelliferi nomine spectandam proposuit. Eandem Gulielmus Rouillius in suam omnigenam Historiam transtulit, & Absinthium album capitulis scabris Lobellii nuncupauit. Hæc me breuitatis amantem remorantur magis, quam perturbent. Venient in rem præsentem Clusius, & Rouillius, vtrunque suis verbis loquentem audiemus, ne absentes, aut indicta causa condemnati videantur. Medeæ apud Senecam dictum memini. Qui statuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet statuerit, haud æquus fuit. Rarum etiam inquit Clusius, est alterum Absinthii genus, nec vsquam, nisi in Austriæ, „ Styriæque celsissimis iugis a me obseruatum. Dodrantalibus au- „ tem assurgit cauliculis, gracilibus, incanis, in quibus rara, & exigua sunt folia, tota incana lanugine, & veluti tomento obsita, cir- „ ca radicem maiora, Bellidis maioris foliis non admodum dissi- „ milia, minora tamen & magis incisa, satisque crassa, gustu valde „ amaro. Summis cauliculis octoni, aut plures insident flosculi in umbellam distributi, floribus Achilleę similes, sed maiores, septe- „ nis, aut octonis candidis foliolis medium orbem ex aliis exiguis „ flosculis stilo luteo præditis efformatum cingentibus constantes: „ semen deinde quale Absinthii uulgaris, odoratum: radix nigra „ est, aliquot fibris donata, & e lateribus propagines mittens. Item „ Absinthium album, ait Rouillius, rarius in Gallia, Italia, Anglia, „ Belgio, a nullo adhuc scriptore memoratum, uni Clusio cognitum, & e Vienna Austriæ transmissum folio crysanthemi diuisu- „ ra, Artemisiæ marinæ concolori in cauliculo dodrantali, flos al- „ bus Parthenii in vmbellis è senis foliolis, gustu subastringit, nonnihil amaricat. Absinthium Clusii dodrantalibus assurgit cauli- „

culi

culis,nostrum sesquidodrantalibus illius folia rara sunt, lanugine ueluti tomento obsita,circa radicem maiora,Bellidis maioris,aut chrysanthemi foliis, non admodum dissimilia, satis crassa, ualde amara,subastringentia. Huius folia densa sunt, lanugine uernantia,circa radicem minora,foliis coronopi similia, tenuia, uix amara,uehementer astringentia. Illius flores Achilleæ,aut Parthenii floribus conferuntur ,flores huius , floribus millefolij assimilantur. Illius semen quale Absinthij vulgaris, odoratum; huius semen ab eo multum differt,odoris expers.Itaque minime mirum debet cuiquam videri me Absinthium hoc,vtpote diuersum genere,insuetum,nec ulli uisum,aut descriptum litteris celebrasse. In causa, spem tantam habeo,vt aliorum etiam iudicio non diffidam. Siquis tamen eat in alia omnia, & laudem ex noua planta præcipuo quodam titulo mihi deberi neget; at vsum, qui rerum inuentioni præfertur,mihi acceptum non referre non potest.

HIstoriam hanc quinque paruis foliis contentam de inuentione, & viribus Absinthii Vmbelliferi per egregium D. Nicolaum Clauenam Ciuem , & Pharmacopolam Bellunensem,cum approbatione Illustrium trium DD. Medicorum, & in primis Illustrissimi,& Reuerendissimi D.Episcopi Bellun.vt manu sua testati sunt, Ego Fr.Bonauentura Maresius D.Theologus, & in Diœcesi Bellun.pro Sancta Sede generalis Inquisitor, cum in ea non sit aliquid contra leges, sed publicæ vtilitatis occasio, harum serie imprimendam admitto. Belluni septimo Septembris, 1608.

Idem qui supra manu propria.

Imprimatur, Fr.Io.Paulus Macer de Serauallo Min.Conuent.Doct.Theol.Sanctissimæ Inquisit.Cenetens.Vicarius,& Commissarius Generalis.

Vn





